

The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

Religio ap cum fonte primo

Norunt multi quod saturitatem uentris sequitur leuitas operis et uanitas mentis. Scriptum est enim: Sedit populus manducare et bibere et surrexerunt ludere. Ludere, inquit, non legere. Sunt qui post delicati cibi fercula cum in claustro sedeant, non lectioni et silentio, sed rumoribus et curiositati uacant, qui locum loquendi et tacendi nusquam et nunquam seruant, sed instabiles et ociosi nunc hos, nunc illos ad loquendum uocant. Pone, inquit, ori meo custodiam et ostium circumstancie labiis meis;

ostium, dixit, non murum. Si enim murus poneretur, loquendi licentia omnino negari uideretur. Sed ostium ponitur qui tempore et loco clauditur et aperitur.
Est tempus et locus tacendi et loquendi. Aperitur itaque ostium hora constituta, scilicet in claustro lectioni, in capitulo confessioni, in ecclesia orationi. Clauditur iterum in claustro confabulationi, in capitulo contentioni, in ecclesia uane modulationi.

Hugo ibidem (libro de claustro anime et de duodecim abusionibus).

Norunt etiam multi quod saturitatem ventris sequitur leuitas operis, et vanitas mentis. Scriptum est enim: Sedit populus manducare, et bibere, et surrexerunt ludere (*Exod.* XXXII. 6). Ludere, inquit, non legere. Sunt enim quidam qui, post delicati cibi diversa fercula, cum in claustro sedeant, non lectioni et silentio, sed rumoribus et curiositati vacant, qui locum et tempus loquendi et tacendi nusquam et nunquam servant, sed instabiles et otiosi nunc hos, nunc illos ad colloquium yocant. Pone, inquit Psalmista, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis (*Psal.* CXL. 3).

Ostium dixit, non murum. Si enim murus poneretur, loquendi licentia omnino negari videretur. Sed ostium ponitur, quod tempore et loco clauditur et aperitur.
Est tempus et locus loquendi et tacendi. Aperitur itaque ostium in claustro hora constituta lectioni, in capitulo confessioni, in ecclesia orationi. Clauditur iterum in claustro confabulationi, in capitulo excusationi, in ecclesia vanae modulationi.

Hugo de Folieto, *De claustro animae libri quatuor*, 2, 20 (PL 176, col.1073D-1074A).